

**Elegia in obitum
præmaturum ... Johannis F.
Wiens, pie defuncti die
31. Jan...**

Renström, Eric,

*1700-1829 81 Cbza 1738 Wiens, Johannes
F.*



National Library
of Sweden

ELEGIA

In

obitum præmaturum

*Philosophiæ Studiosi**Doctissimi*

DNI **JOHANNIS F.**
WIENS,

pie defuncti die 31. Januarii,
 tumuloque illati die 19. Martii

1738.

Composita

Ab

E. KENIGSON.

ABOÆ, Excud. Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typogr.



CUr vigiles noctes agitis, gens casta Minervæ?
Pieridum cur vos anxia cura tenet?
Quid studio crebro latitantes quærere veri
Thesauros cupitis? Quid faciesve madet?
Conficitur nervus, vitamque abrumpitis ipsi,
Et labor assiduus tempora longa negat.
Attenuat stimulans ardor præcordia fila,
Mollia corrodit stamina dens rabidus:
Nil juvat ingenii celsæ vis indita menti;
Horreo sed referens, in sua damna ruit.

Li-

Liquitur ante diem robur, bustumque paratur,
Artibus ingenuis exitus iste patet.
En! moritur juvenis præstans florentibus annis
WIENS, præcox superum regna beata petit.
Quem tenerum cepit Musarum fervidus ardor:
Quem sapiens Pallas fecerat atque suum.
Cui conatus erat Parnassi scandere culmen,
Justus honoris apex meta scopusque fuit.
Marcescunt lauri frondes, subit alta Cupressus,
Ipse rubor periit, pallor in ore sedet.
Splendida si virtus dissolvere vincula mortis
Sive fides posset, vota que supplicia:
Vitales auras traheret sincerus amicus
Noster adhuc, multos adspiceretque dies.
Sed precibus nullis heu! flectitur horrida Clotho,
Occubuit vernans, exanimisque jacet.
Et speciem præbent tristem, morsusque doloris
Sanguine conjunctis funera sicca suis.
Ast querulam tollat defuncti gloria vocem,
Ærumnam minuat vita beata poli.

Est

Est meliore sui WIENS noster parte superstes,
Perpetuo vivit spiritus æthereus,
Excussit manibus sertum Libitina caducum,
Reddita perdurans sancta corolla fuit.
Jam nebulis pulsis, rutilantia sidera spectat,
Exhilarant pectus gaudia mille suum.
Ambrosiæ saturant dulces nectarque sacrorum,
Jam felix celebrat jubila festa pius,
Terricolis probitas insons, morumque venustas,
Continue memori condita mente manent.

